



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

x. De Authoritate, & vsu pallij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

vt eo saltem termino impedi-
menti causam proponat, & a-
liorum quindecim dierum ter-
mino probent: quæ si statuta e-
lectus non obseruarit, vel supra
dictis quidē obseruatis, & cau-
sa legitima impediementi pro-
posita, & probata procuratorē
idoneum & instructum non de-
derit, aut sublato postea impe-
dimento ipse se non statuerit,
omni iure ex electione quæsitō
priuatur, multaque alia consti-
tuit, quæ in eius constitutione
leguntur^a. Quam Nicolai Con-
stitutionem postea Bonifacius
octauus multis modis declara-
uit & extendit, inter cætera sta-
tuens, vt satis non sit huiusmo-
di electo ad sedem Apostolicā
uenisse, nisi vsque ad finem ne-
gotium prosequatur^b. Qui er-
go plenum & integrum ius vo-
luerit in Episcopatu habere,
hunc oportet non confirmatū
modò esse, sed etiam (vt supra
diximus) consecratum: per cō-
secrationem enim fœdus con-
iugij spirituale, quod est inter
Episcopum & Ecclesiam, intel-
ligitur consumatum, quod ele-
ctione fuerat initiatum, & con-
firmatione ratificatum^c. Hinc
& si iam sit consecrandus, cum
celebretur missa, quæ de more
in his solennibus dici solet, si ta-
men ad consecrationem non-
dum est deuentum, non poterit
ordines conferre, nec eodē die
etiam post consecrationem.

^a c. cupientes.
de elect. in
6.

^b ca. si post-
quam, in 6.

^c ca. licet. de
transla. E-
pisc.

A Consecratio autē Episcopi in-
ter Epistolæ recitationē & Euā-
gelij celebrari solet, sicut etiam
cæterorum omnium præter Ro-
manum Pontificem, qui vnus
ante hymnum Angelicum con-
secratur, & mox ipse incipit mis-
sarum solennia, & perficit con-
secratus^d. Et quidem Episco-
pi consecratio intra sex menses
petenda est^e. Archiepiscopus
verò plenam eius dignitatis ad-
ministrationem non prius con-
secutus dicitur, quàm pallium
impetrarit: quapropter nec pri-
us poterit cōciliū vocare, Chri-
sma facere, Basilicas dedicare,
clericos ordinare, & Episcopos
consecrare^f. Episcopus autem
consecratur à tribus illius pro-
uinciæ Episcopis, cæteris con-
sentientibus, Archiepiscopi iuf-
su præcedente. Consultius ta-
men fuerit, si ipse Archiepisco-
pus vnà cum suffraganeis suis
eum sacrarit^g. Consecratio ve-
rò fit vnctione capitis, & manu-
um Chrismate solennibus ver-
bis additis^h. At Archiepisco-
pus ab omnibus prouinciæ suæ
Episcopis consecratur in sede
Metropolitanaⁱ.

DE AVTHORITATE,
& vsu pallij,

TITVLVS X.

Q Via titulo præcedenti est
traditum, Archiepiscopo
tunc demum plenum ius
in

^d e. quod sic-
ut. §. super
eo. de elect.
cap. 2. ubi
Ab. m. 22.
& 35. de
transl. Epi.

^f d. ca. quod
sicut. §. su-
per eo.

^g e. si archie-
piscopus. et
seq. de tēp.
ordinat.

^h ca. un. §. p.
in fi. ubi gl.
de sacramen-
ti. & ibi
Ab.

ⁱ d. c. si Ar-
chiepisco-
pus.

in ea dignitate esse acquisitum, cum pallio fuerit honestatus, aliqua de hoc insigni dicenda sunt.

Est igitur Pallium, ornamentum Patriarcharum, Archiepiscoporum, Metropolitanarum, & quandoque etiam Episcoporum, de corpore beati Petri sumptum, Episcopalis dignitatis plenitudinem conferens: eiusque conferendi potestas in quatuor principes Patriarchas, scilicet Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum soli Rom. Pontifici competit: in ceteros vero s. dictos quatuor inferiores Episcopos ipsi illi principes quatuor Patriarchæ conferre possunt^b, nec cui concedi solet, nisi prius sedi Apostolicæ fidelitatis, & obedientiæ præstiterit sacramentum^c.

Idcirco autem de Petri corpore id sumi dicitur, siue (ut quidam credunt) quia super altare Petri benedicitur, & consecratur, atque inde mox ab illo excipitur, qui eo est usus, si præsens sit, vel si absit, ab ipsius procuratore eius nomine^d: seu (ut alij senserunt) quia à Rom. Ecclesia proficiscitur. nam & illi quatuor viri Patriarchæ, dum illud subiectis sibi Archiepiscopis conferunt, non citra Papæ autoritatem id faciunt^e. Eo vero Pallio utetur Primas ille, in quem fuerit collatum, in qualibet sibi creditæ Ecclesiæ

provincia^f, extra provinciam eo non utetur: sed nec omnibus diebus eo uti potest, sed certis duntaxat, staturisque diebus: neque valeat consuetudo, ut etiam extra provinciam vsui esse possit^h. Rom. autem Pontifex dum sacra facit, pallio semper & ubique uti potest, nullo dierum, vel locorum habito discrimineⁱ. Solet tamen idem Pontifex Rom. nonnumquam indulgere, ut Archiepiscopus necessario impeditus, ne possit ad ditionis suæ Ecclesias accedere, suffraganeos suos consecraturus, & clericos ordinaturus, possit in aliena etiam Ecclesia, ad quam huius negotij causa se cesserit, pallium suum induere, dum modò eius Ecclesiæ Episcopus hoc permittat^k. Non tamen prohibetur Archiepiscopus etiam sine pallio, & aureis calceis, quæ sandalia appellant, consecrationem celebrare, modò ei collata sint. nam si nondum ei pallium esset traditum, aliud esset dicendum: necdum enim Archiepiscopi nomine appellandus esset, nec Pontificalis officij plenitudinem esset consecutus, ut etiã supra diximus^l.

Illi, qui apud sedem Apostolicam pallio fuerint honestati, cauti sint, ut inde proficiscetes eius rei testimonium secum literas ferant, nisi & provētibus omnibus priuari, & ab actibus gerendis exercendisque arceri.

D d 3

^a Ab. in Rub.

^b c. antiqua. de privileg.

^c c. significasti. extra. de elect.

^d gl. p. c. significasti. extra.

^e Ab. c. significasti. col. pe. ad fi. in gl. pe. de elect.

^f c. p. hoc eod. tit.

^g c. ad honorē.

^h c. extuarum.

ⁱ c. ad honorē.

^k d. c. extuarum.

^l c. nisi specialis.

a extr. iniuncta. in fi. de elect. velint^a. Nemini autem alij quis pallium suū commo- det, personæ etenim hæere debet, eaq; defuncta simul sepulchro
b c. 1. tradi^b, nisi ad Ecclesiam transla- tus sit: tunc enim nouo pal- lio erit exornandus vetere om- misso^c. Nec prætermitten- dum est Pallij traditionem cri- minis obiectione non differri, nisi obijciens præmisso iuramē- to obiecta prober intra bime- stris temporis spacium à colla- tionis die^d.

c c. bonæ. 2. in fi. ubi gloss.

d extra. p. co. tit. in com.

DE TRANSLATIONE Episcopi,

TITVLVS XI.

Sciendum est Episcopū non semper in Ecclesia sibi credi- ta perpetuò manere: nā inci- dunt quādoq; tempora, quibus factu optimum videtur, Episco- pum à prisca Ecclesia ad alterā transferri, dum ad id, vel Eccle- siæ necessitas vrget, vel patens vtilitas hortari & impellere vi- detur^e. Verūm cū huiusmo- di casus contingit, caueat tamē Episcopus, ne sua sibi authori- tate hoc arroget: quod si facere ausus fuerit, neque ad hanc, cui inhiabat, Ecclesiam ei concede- tur accessus, neque ad veterem, quam alterius spe omiserit, re- migratio^f: quinimò nec ei pro- derit à Patriarcha hanc se tran- ferendi licentiam habuisse, &

e c. mutatio- nes. c. seq. 7. q. p. c. quan- to. exir. co.

f c. 3.

A Patriarcha ipse, qui sibi id iuris vendicare non erubuerit, suspē- detur ab Episcoporum confir- mandorum potestate s. V- g c. p. num enim Romanum Pontifi- cem hoc ius habere transferen- di Episcopi certum est^h, quod *b c. 2.* non minū in confirmatis dun- taxat Episcopis traducendis, li- cet nondum cōsecratis, locū ha- bet, cū licet cū his consuma- tum nondum sit matrimoni- um, contractum tamen esse, cer- tum sitⁱ, ideóque sine summi Pontificis venia id diuidi nefas est^k. Pontificis autem maxi- mi indultum, quo huiusmodi translationi annuit, angustè est interpretandum: quare si ad maiorē priore dignitatē tran- situm concesserit, non auxilia- bitur ad parem dignitatem mi- grare cupienti^l.

i c. 2. exir. co.

k d. c. 2.

l c. fut.

DE OFFICIO ordinarij,

TITVLVS XII.

Videamus nunc, quæ sint Prælatorum partes, & quæ potestas, & ordinariorum imprimis, id est, eorum (vt Ho- stiensis docuit) qui suo Iure, vel Principis beneficio iurisdic- tionem vniuersaliter exercere pos- sunt: cuiusmodi sunt legati A- postolici, Patriarche, Primates, Metropolitæ, Episcopi: item quivis collegiatæ Ecclesiæ præ-